

CUIUS SUPRA, UT VITENTUR DETRACTIONES ET INIUSTAE PULSA- 30r
TIONES.

Alexander episcopus omnibus divino sacerdotio fungentibus pax et misericor- 1
dia multiplicetur et sapientia atque bona voluntas in omnibus augeatur et fructifi-
5 cet in domino.

Gratia dei sumus, fratres carissimi, id, quod sumus. Idcirco nobis praeviden- 2
dum est et oppido decertandum, ne in ea vacui inveniamur, sed eadem nobis co-
operante gratia fructum domino plurimum reportemus. Quod aliter fieri non po-
test, nisi sapientiam scrutando eiusque praecepta lectionibus et hymnis meditando
10 atque eo adminiculante implendo, orando, vigilando et voluntatem eius, in quan-
tum ipse largitus fuerit, perficere studeamus. Nec eandem neglegendam gratiam
nobis dominus dedit, sed fideliter exercendam tribuit. Dilectio enim sine simula-
tione in vobis esse et apparere debet, quia omnis, qui odit fratrem suum, homicida
est. Qui vero diligit eum, in deo manet et deus in eo, unde et apostolus ait: Nolite
15 iudicare, fratres, in invicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum
fratribus vel scandalum. Et dominus inquit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne fa-
cias. Et alibi: In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem
habueritis ad invicem. Et Salomon ait: Sacrificium salutare est attendere mandatis
et discedere ab omni iniquitate.

Summa enim iniquitas est fratres detrahere et accusare. Unde scriptum est: 3
Omnis, qui detrahit fratrem suum, homicida est. Et omnis homicida non habet
partem aut hereditatem in regno dei. Et alibi: Cavete vos, fratres carissimi, ne
participes efficiamini, quod absit, malis eorum.

Et non solum vos cavete a talibus, sed et alios cavere ab eis et avertere docete. 4
25 De his enim dominus ait per prophetam Micheam: Vae, qui cogitastis inutile et
operamini malum. Ecce ego cogito super familiam istam malum in cubilibus ves-
tris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra deum est manus eorum. Et
concupierunt agros et violenter tulerunt et domos rapuerunt et calumniabantur
virum et domum eius, virum et hereditatem eius. Idcirco haec dicit dominus: Ecce
30 ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra et non
ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. In die illa sumetur super vos
parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium: Depopulatione vastati
sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me, cum revertatur,
qui regiones nostras dividat? Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in
35 coetu domini. Ne loquamini loquentes: Non stillabit super istos, non comprahen-
det confusio. Dicit domus Iacob: Numquid abbreviatus est spiritus domini, aut
tales sunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte gra-
ditur? Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit, desuper tunicam
pallium sustulistis et os, qui transiebant simpliciter, convertistis in bellum. Et
40 econtra de his, qui accusantur vel tribulantur, per Naum prophetam confortans
eos sic loquitur dominus: Et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in
se. Et in diluvio praetereunte consummationem faciat loci eius et inimicos eius
persequentur tenebrae. Quid cogitatis contra dominum? Consummationem ipse
faciet. Non consurget duplex tribulatio, quia sicut spinae se invicem complectun-
45 tur, sic convivium eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate
plena. Ex te exhibit cogitans contra deum maliciam mente pertractans praevarica-

tionem. Haec dicit dominus: Si perfecti fuerint et ita plures, sic quoque attendentur et pertransibit. Affixi te et non affligam te ultra.

- 5 Facile est, fratres, verbo fallere hominem, sed non deum. Sapiens non est, qui nocet, nec vir linguosus in malum se dirigit in terra. Nihil vero mali vult, qui fidelis est. Malo enim et pravo ingenio fides aliena est. Ait autem apostolus de infidelium ignorantia: Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent. Crucifigunt enim dominum, qui eum in sacerdotibus suis persecuntur, quia crux a cruciatu dicitur. Magnum vero cruciatum sustinet, qui compatitur, sed tamen beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Ecce ait Iudas apostolus: Veniet dominus in milibus suis facere iudicium et perdere omnes impios et arguere omnem carnem de omnibus impietatibus eorum. 50 55
- 6 Haec, fratres, valde timenda sunt et perpendenda, ne veniens unusquisque ad iudicium poenam cum impiis recipiat, sed cum iustis gloriam. Quod pius dominus praestare dignetur, qui vivit et regnat per saecula cuncta. 60
- 7 Data Kl. Mai. Heliano et Vetere vv. cc. cons.

EXPLICIUNT DECRETA ALEXANDRI